# *De Tacitei sermonis proprietatibus praecipue quae ad poetarum dicendi genus pertineant.*

Pars posterior.

Nobis in arto et inglorius labor.
Tacitus.

Cuius quaestionis parte priore [1]) iam tractata et exposita me hoc anno in dativi et ablativi usum Taciteum inquirere consentaneum est. Quod vero iustis de causis nec possim fortasse facere nec velim. [2]) Instituamus igitur quaestionem de Tacitei sermonis proprietatibus in usurpandis verbi temporibus et modis, deinde in componendis enuntiatis.

## Caput I.

## *de temporum et modorum usu.*

**A.)** In usurpandis indicativi temporibus pauca inveniuntur, quae poetarum dicendi rationi conveniant. Huc pertinet illud perfectum ἀοριστικῶς positum, quod aoristus consuetudinis sive experientiae vocatur: Agr. 9. Haud semper errat fama; aliquando et elegit; An. 3, 66 Bruttedium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat, quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant.

---

[1]) In huius gymnasii libello scholastico pro anno 1890, ubi tractantur quaestiones: de tropis figurisque, deinde de genetivi et accusativi usu Taciteo.

[2]) cf. Dissertationis eiusdem partem priorem pag. 5 et 42.

Qui aoristus apud aureae aetatis scriptores nisi apud Sallustium non legitur; poetae vero, quibus proprium est, ut fingendis liberiusque usurpandis formis grammaticis posterioris aetatis dicendi usum quasi antecapiant, saepe eo utuntur. De qua re optime disputavit Wexius in libello, qui inscribitur: Beiträge zur Kritik und Erklärung von Tacitus Agricola pag. 9: „Die Griechen, wenn sie eine allgemein gültige Wahrheit aussprechen wollen, setzen oft einen einzelnen Fall der Vergangenheit hin, in welchem sich jene Wahrheit bewiesen hat, und dieser Fall soll als Norm dienen aus welchem der Leser und Hörer sich jene für alle Zeit gültige Wahrheit abstrahieren soll. Der Aorist als Tempus behält also hier seine Grundbedeutung als ein etwas Vergangenes referierendes Tempus. Die lateinischen Dichter und griechisch gebildeten späteren Prosaiker ahmen dies nach, weil diese individualisierende und concrete Anschauungsweise viel Dichterisches hat.“ cf. Sall. Cat. 11, 3 avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ib. 51, 11 non ita est, neque cuiquam mortalium iniurae suae parvae videntur; multi eas gravius aequo habuere; Verg. G. 1, 287 multa adeo gelida melius se nocte dedere; Hor. car. 3, 29, 16 plerumque gratae divitibus vices mundaeque parvo sub lare pauperum cenae . . . . solicitam explicuere frontem.

Omnibus illis locis voces „multi, nemo, plerumque“ additas esse videmus; omittuntur vero: Verg. Georg. I, 49 illius (segetis) inmensae ruperunt horrea messes; ib. 263 aut pecori signum aut numeros impressit acervis; 2, 490 felix, qui potuit rerum cognoscere causas; Hor. ep. 2, 3, 413 qui studet optatam cursu contingere metam, multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit, abstinuit venere et vino; ib. 1, 2, 48 quod satis est cui contingit, nil amplius optet. Non domus et fundus, non aeris acervus et auri aegroto domino deduxit corpore febres, non animo curas. Sen. const. 11, 2 nam et pueri os parentum feriunt et crines matris turbavit laceravitque infans et sputo aspersit aut nudavit; de ira 3, 25, 3 illud non venit in dubium, quin se exemerit turbae et altius steterit, quisquis despexit lacessentes . . .; sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit, sic irritus ingenti scopulo assultat.

**B.)** Poetarum more infinitivus perfecti adhibetur, ubi

non tam praesens actio quam perfecta exactaque denotanda inprimisque premenda est: dial. 18 hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum; ib. 23 Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus; ib. 26 Nunc detrectasse antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est; Agr. 3 Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse ib. 44 evasisse. cf. Hor. ep. 2, 3, 416 nunc satis est dixisse: ego mira poemata pango (quem infinitivum vertimus: „es ist genug zu sagen“ sed si rem ipsam spectamus significat: „jetzt genügt es gasagt zu haben“ vel „jetzt genügt es, wenn man nur gesagt hat: Ich mache herrliche Gedichte.“) Verg. Aen. 3, 282 juvat evasisse tot urbes Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis; Ovid. Met. 15, 4 non ille satis cognosse Sabinae gentis habet ritus; animo maiora capaci concipit; Liv. 3, 41, 3 non erit melius . . . vocem misisse; 3, 48, 3 proinde quiesse erit melius; Val. Max. 4, 3, 14 abunde erit . . . retulisse. —

C.) In infinitivi historici usu Tacitus a vulgari loquendi ratione ita recessit, ut infinitivum historicum post particulas „cum, postquam, donec, ubi, ut“ poneret. Jam Sallustius (cf. Jug. 98, 2) et Livius (cf. 2, 27, 2; 3, 37, 5) infinitivum particulae „cum“ iungunt, ut ad antecedentia verba res alia, quae narratur, simpliciter adiungatur; infinitivo vero apud particulas „postquam, donec, ubi, ut“ Tacitus solus utitur. (cf. Haasium ad Reisigii Gram. Lat. pag. 782 not. 600 et Kühneri Gram. Lat. II. pag. 105.)

Atque afferamus Tacitea exempla, ubi praecedit:

α) enuntiatum primarium: Hist. 3, 31 tela saxaque incutiebant, cum languescere Vitellianorum animi An. 2, 31 cingebatur — domus, cum Libo — vocare percussorem, prensare dextras, inserere gladium; ib. 40 coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere; 4 50 ingruebat nox — cum Sabinus circumire hortari; 6, 44, (50) iamque — adventabat, cum — distrahi consiliis; 11, 34 iam erat in aspectu Messalina clamitabatque — cum obstrepere accusator. 14, 5 per gaudium memorabat, cum ruere tectum loci (Haasius legit h. l. tholi) multo plumbo grave; 6, 19 (25) custodes — adsectabantur, dum in Ti-

berim traherentur, ubi fluitantia — non cremare quisquam, non contingere. 13, 57 neque extingui poterant, — donec agrestes quidam saxa iacere.

β) enuntiatum temporale: Hist. 3, 10 ubi crudescere seditio et a conviciis ac probris ad tela — transibant inici catenas Flaviano iubet (cf. Heraei not. ad h. l.) Hoc loco aliisque locis ex eadem particula pendet verbum finitum, quod infinitivum sequitur. an. 2, 4 ubi minitari Artabanus et parum subsidii in Armeniis vel — bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Suriae — excitum custodia circumdat; (cf. Draegeri not. ad h. l.) 11, 37 quod ubi auditum et languescere ira, redire amor ac — nox et uxorii cubiculi memoria timebantur, prorumpit Narcissus; 12, 51 ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare ut — eximeretur; Hist. 3, 31 ut praeberi ora contumeliis et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio; An. 3, 26 postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes.

**D)** Accuratius inquirendum est nobis in tempora participii. —

Saepe apud Tacitum participium perfecti admittitur, ubi participium praesentis expectaveris cf. An. 12, 17 sed in regressu dispar fortuna fuit, quia navium quasdam — in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohortis et plerisque centurionum interfectis. In enuntiato primario cum legatur praeteritum tempus in secundario participii perfecti ablativus, secundum grammaticorum legem solvendus est is casus „postquam interfecti sunt." Sed interficiendi actio cum circumveniendi actionem nequaquam antecederet immo vero eodem tempore fieret, apparet illud participium ita usurpari, ut pro participio praesentis positum esse videatur. Similia exempla exstant; hist. 1, 2 urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris: ib. 20 appellari singulos iussit decuma parte — relicta; ib 62 signum profectionis exposcunt, nomine Germanici — addito; 3, 80 plures raptis — telis signum pugnae exposcunt; 4, 37 ipsi raptis temere armis ac statim omissis in fugam vertuntur; An. 1, 77 licentia — coepta, gravius tum erupit, occisis non modo e plebe, sed militibus et centurione; 4, 64 ignis violentia urbem ultra solitum adfecit, deusto monte Caelio; 6, 45 (51) annus igne

urbem adficit deusta parte circi; 13, 39 capta — munimenta, omnesque puberes trucidati, nullo amisso, paucis admodum vulneratis; 14, 37 sunt qui — tradant, militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis; 15, 45 in praedam — di cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod . . . 15, 71 Priscum — coniux comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis, quae utraque gloriam eius auxere; 16, 21 Nero virtutem excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Bareo Sorano. — Eodem modo construitur participium perfecti in ablativo absoluto apud Livium 4, 10,7; 21, 37. Poetae quidem ab hoc ablativi absoluti usu abhorruerunt; nihilominus perfecti participium posuerunt iis locis, quibus praesens actio non praeterita erat denotanda, ut Verg. Aen. 5, 317 limenque relinquunt effusi (i. q. dum effunduntur) nimbo similes; id. ib. 1, 418 peplumque ferebant suppliciter tristes et tunsae (i. q. dum sibi tundunt) pectora palmis; 4, 589 Terque quaterque manu pectus percussa (i. q. percutiens) decorum, flaventesque abscissa comas. (Alia exempla videas apud Ladewig ad Verg. Aen. VI, 335); Hor. sat. 1, 2, 65 Poenas dedit — pugnis caesus ferroque petitus.

Omnibus illis locis participio perfecti multi viri docti vim participii praesentis inesse contendunt. Cuius dicendi rationis veram indolem Haasius intellexit (ad Reisigii Gr. Lat. pag. 752) cum de hac re diceret: Wichtig ist es zu bemerken, dass das part. perf., wo von vergangenen Dingen die Rede ist, zuweilen das bezeichnet, was mit diesen gleichzeitig ist, so dass eigentlich das part. praes. hätte stehen sollen . . . . Die Relation der Zeit geht nicht auf das Verbum finitum, sondern auf den Erzählenden, so dass von seinem Standpunkte aus dieselbe Zeitbestimmung eigentlich zweimal gegeben ist, einmal im Part. und einmal im Verb. fin., so dass sich hier dasselbe zeigt, was schon über den Gebrauch des Perf. Coni. bemerkt ist, das Streben subordinierter Satztheile, sich loszureißen von der beherrschenden grammatischen Form und gleichsam reichsunmittelbar zu werden, gerade so, wie es das die Meinung des Subjects unmittelbar ausdrückende Verbum finitum auch ist; es ist ein Vordrängen der Subjectivität in der Darstellung, die auch in vielen anderen Dingen charakteristisch ist für das sogenannte silberne Zeitalter der römischen

Literatur. Wenn man hier sagt,es stehe Perfectum pro praesente oder es ist aoristisch gebraucht, so ist damit die Sache nur bezeichnet, nicht erklärt. [1])

Sequitur, ut de participii praesentis usu paucis disputemus eodemque, quem multi viri docti pro praeterito positum esse dicunt: An. 3, 16 atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone — compositos; 6, 18 (24) sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum accusante Q. Pomponio. ib. 29 (35) Scaurus damnationem anteiit, hortante Sextia uxore cf. 1, 14; 16, 10; XI, 35 apud quos praemonente Narcisso pauca verba fecit; XII, 69 ibi monente praefecto faustis vocibus exceptus inditur lecticae; XIV, 18 Motus senatu et Pedius Blaesus, accusantibus Cyrenensibus; ib. 28 Vibius Secundus eques Romanus accusantibus Mauris repetundarum damnatur; XV, 62 denegante centurione conversus ad amicos — imaginem vitae suae relinquere testatur, — Exempla, quae illud participium praesentis in ablativo absoluto exhibent paucis locis apud Ciceronem leguntur cf. pro

---

[1]) Quantam vim posterioris aetatis scriptores participiis tribuerint, ex iis quoque locis perspici potest, ubi participia secundarii enuntiati loco posita cum restingendi ac coercendi vi adduntur particulis: quamquam, quippe, quasi al. Aureae aetatis scriptores huiusmodi enuntiata secundaria adiunctis particulis verbo finito componunt. (cf. Madvig l. l. §. 424 not. 4). — Apud Tacitum adiunguntur in ultimis Annalium sex libris participia particulis: tamquam: 12, 49 t. recuperaturus; 14, 33 t. redditurus cf. 11, 36; 13, 43; quamquam: 12, 25 quamquam nepotibus subnixum; 12, 29 q. saepe oratus; cf. 12, 40; 14 21; 15, 59; 16, 15, 19; quamvis: 12, 50 quamvis servitio sueti; 14, 6 q. exterritus; cf. 15, 71; 16, 22. Videmus ex his locis ita quodammodo processisse participiorum naturam, ut sermo brevitate multum proficeret. Idem conspicitur in usu ablativi absoluti, ubi solum participium enuntiati secundarii locum obtinet. Nam ablativo quoque absoluto illius aetatis scriptores particulas addunt, ubi priores verbo finito utuntur cf. 12, 4 quamquam lecto pridem senatu; 12, 23 quamquam magnis nationibus subactis; 11, 12 velut translata iam fortuna; 14, 22 quasi depulso Nerone; 14, 39 tamquam durante bello; 14, 43 quamvis nondum concusso senatus consulto; 15, 38 q. patente effugio; 15, 46 quamvis saeviente pelago.

Lig. 3, 7; perferente; Brut. §. 180. accusante. Tacitus igitur maiore copia exemplorum priores prosae scriptores videtur superare. Poetae maximam partem nominativo eiusdem generis participii utuntur cf. Hor. sat. 1, 5, 95 Inde Rubos pervenimus, utpote longum iter carpentes; Verg. 1, 305 Aeneas per noctem plurima volvens, Ut primum lux alma data est exire locosque Explorare novos; id. ib. 492 subnectens; cf. etiam Liv. 27, 43 incertis implicantes responsis — edocuerunt; id. 45, 10, 6 negantes; Sall. Jug. 113 haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit. — Apud Tacitum similia exempla leguntur: hist. 2, 4 pauca in praesens et solita respondens petito secreta futura aperit; Ann. XII, 48 at Quadratus cognoscens proditum Mithridaten — vocat consilium; cf. etiam genetivum: an. 2, 2 ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium; et accusativum: Agr. 9 Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit. — Minime recte praecipiunt, qui haec participia praesentis pro perfecti poni statuant; namque tempus praesens nullo modo idem significare potest ac praeteritum. Haec sensisse videtur Haasius, vir ingeniosissimus, cum doceret eiusmodi participium praesentis subiecto addere attributum, quod modum agentis describat. cf. l. l. §. 721 pag. 743. —

Haud raro utuntur poetae participio futuri activi, ut significetur, quo consilio quid fiat, ad quam rem aliquid sit destinatum, quin etiam quid quis facere possit: cf. Verg. Aen. 2, 47 Haec machina fabricata est, inspectura domos venturaque desuper urbi; Ovid. Met. IV, 97 Venit leaena depositura situm; Hor. car. 1, 35, 29 Serves iturum Caesarem in ultimos orbis Britannos cf. sat. 1, 4, 43. Apud praestantissimos prosae orationis scriptores participium futuri activi nusquam enuntiati secundarii partes obtinet, Tacitus vero poetarum rationem secutus participium hoc saepius adhibuit. Secundum exactam Fr. Helmi observationem in libello, qui inscribitur: Quaest. syntact. de particip. usu Tacitino Velleiano Sallustiano Lips. 1879 usurpatur participium futuri activi.

*α*) ad designandum eum qui aliquid vult perficere cf. an. II, 17; IV, 39; XII, 2; aliis viginti locis. cf. Helm l. l. pag. 74.

*β*) ad designandum eum, qui in eo est, ut aliquid perficiat; An. IV, 30; XV, 34; Agr. 25; ib. 32; Ger. 3.

γ) ut designet eum, cui tanquam a fato praedistinatum est, ut aliquid faciat quique ipse sorti alicui obnoxius est cf. an. I, 24; I, 81; II, 8; II, 58; et aliis quadraginta locis cf. Helm pag. 75.

δ) ut designet eum qui aliquid faceret, si certa quaedam conditio ad effectum adducta esset: An. I, 36; ib. 45; hist. II, 40.

ε) ad designandum eum qui certa quadam condicione aliquid fecisset cf. an. I, 28; II, 17; III, 66; hist. II, 97; III, 19 III, 54. — Locis, ubi apud Tacitum poetarum more (cf Hor. car. 4, 3, 20 o mutis quoque piscibus donatura cycni, si libeat, sonum) participium futuri in una parte enuntiati condicionalis coniunctivo substituitur, addendi sunt duo ab Helmo l. l. pag. 77 omissi loci: hist. 3, 56 si consulerentur — vera dicturis; ib. 4, 39 haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset.

Haec de participiis futuri activi. Jam restat, ut de participiis perfecti substantivorum vice fungentibus paucis disputemus. Quae participia perfecti Zumptius (Gr. Lat. §. 637) apud praestantissimos prosae orationis scriptores solum in casibus obliquis, apud posteriores etiam in nominativo casu adhiberi docet. Quod quidem praeceptum vanum esse demonstrant loci apud Ciceronem Pis. 55, 85 dubitat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atque socii nefario bello lacessiti, fana vexata hanc tantam efficerent vastitatem (quod vertimus dass die Misshandlungen der Gastfreunde, die Ermordung der Gesandten. . . . .); Planc. 18, 45 decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus et bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt (die Knechtung der Stimmfreiheit durch Bestechung) cf. ad fam 4, 13, 2. Quae cum ita sint, Tacitus solum multitudine similium exemplorum a priorum scriptorum loquendi consuetudine recessit cf. Agr. 45 acerbitas parentis erepti; hist. 5, 21 remiges dispersi; ann. 1, 8 occisus dictator Caesar; ib. 16 mutatus princeps; ib. 42 occisus Angusti praenepos interfecta Tiberii nurus; ib. 59 fama dediti Segestis — rapta uxor; 3, 64 necessitudo festinati reditus; 3, 66 violatum Augusti numen 4, 26 negatus honor — belli confecti fama; 12, 5 deductae filiae; ib. 69 antepositus privignus. — Non praetermittenda sunt exempla, ubi tale participium apud praepositionem „post“ ponitur: an. 1, 53 post interfectum Posthumum Agrippam; ib. 2, 25 post constrata corporibus litora; 4, 29 post

damnatum Libonem; 6, 34 (40) post avectam Medeam; 11, 22 post Tarquinios exactos; 13, 32 post Juliam interfectam; 14, 23 post deleta Artaxata; 15, 62 post matrem fratremque interfectos — et ubi substantivum supplendum est: an. 2, 46 id signum perculsi fuit; 6, 35 (41) fama occisi; 4, 22 reluctantis et perculsae vestigia; 15, 65 post occisum opera Pisonis; hist. 4, 63 disiecta (sedes).

Magis poetarum dicendi rationi convenire videntur exempla, ubi participium perfecti neutrius generis ita positum est, ut vim substantivi abstracti obtineat: Germ. 31 populis usurpatum — in consensum vertit; hist. 1, 18 observatum id — non terruit Galbam; ib. 51 accessit callide vulgatum, temere creditum, decumari legiones; Ann. 3, 9 et celebritate loci nihil occultum; 15, 58 laetatum erga coniuratos — pro crimine accipi; 16, 16 tantum sanguinis perditum. . . . Agr. 1 antiquitus usitatum (appositionis loco positum) cf. Verg. Aen. 5, 6 Dolores notumque (das Bekanntsein sive dies, dass sie wussten) furens quid femina possit — pectora ducunt; Liv. 1, 53 ni degeneratum in diis huic quoque decori offecisset (die Entartung in anderen Dingen); 4, 49, 6 temptatum (der Versuch) 4, 59 7 pronuntiatum repente — exuit armis; 27, 37, 5 nuntiatum. Sen. ep. 114, 16 verba ante expectatum cadentia. Apud Ciceronem huius loquendi generis rara tantum vestigia conspiciuntur cf. or. part. 33, 114 ut deprehensum aliquid — ut responsum, ut haesitatum, ut titubatum; — off. 1, 10, 33 nihil habeo praeter auditum (h. l. „auditum“ non abstractam sed concretam vim praebet i. q. die gehörte Sache). Apud Caesarem similia exempla extant nulla. —

Nonnunquam apud Tacitum participium praesentis vel futuri activi substantivi vice fungitur: an. 4, 34 accusabant. . . . Seiani clientes; id perniciabile reo et Caesar truci vultu defensionem accipiens (und der Umstand, dass Caesar . . . . aufnahm); 4, 12 quod principium favoris et mater Agrippina spem male tegens (und der Umstand, dass sie nicht verhehlte); hist. 2, 24 angebant Caecinam, nequiquam omnia coepta et senescens exercitus sui fama; 3, 49 adventantem Mucianum veritus; an. 4, 17 neque aliud gliscentis discordiae remedium; dial. 8 quo notabilior paupertas et angustiae rerum

nascentes eos circumsteterunt. — An. 1, 36 augebat metum . . . invasurus hostis (dass oder die Besorgnis, dass der Feind einfallen würde); 14, 11 Adiciebat crimina longius repetita, quod consortium imperii iuraturasque in feminae verba cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset (und dass die Cohorten für ein Weib den Eid leisten würden). —

Pro participio nominis vice fungente substantiva quoque et adiectiva vel pronomina usurpantur. An. 1, 19 superbire milites, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet (die Vertretung der gemeinsamen Sache durch . . . .) 1, 33 accedebant offensiones . . . atque ipsa Agrippina paulo commotior (das leidenschaftliche Wesen der Ag.); 16, 32 quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit (dass P. E. als Zeuge auftrat sive das Auftreten des P. E. als Zeuge); an. 1, 36 Augebat metum gnarus Romamae seditionis . . . hostis (det Umstand, dass . . .); 3, 9 Fuit inter incitamenta invidiae domus foro imminens festa ornatu conviviumque et epulae et celebritate loci nihil occultum (dass wegen der Belebtheit des Ortes nichts verborgen war); 12, 35 nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens terrebat (der Umstand, dass Alles . . . war); 6, 47 (53) nullae in eos imperatoris litterae suspitionem dabant (und der Umstand, dass sich kein Rescript vorfand sive dass Nichtvorhandensein . . . ); hist. 2, 82 sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis. cf. Sall. Jug. 31, 1 opes factionis, vestra patientia, ius nullum (der Umstand, dass kein Rechtszustand vorhanden ist); Hor. car. 1, 37, 13 minuit furorem vix una sospes navis ab ignibus (die Rettung kaum eines einzigen Schiffes aus dem Brande), De qua re cf. Nipperdeyi notam ad an. III, 9, qui plura Tacitea exempla affert. —

**D)** Jam instituenda est quaestio de modi usu, qui in enuntiatis condicionalibus conspicitur.

Enuntiatorum condicionalium varias esse apud Tacitum formas nemo nescit, qui aliquantum in legendo hoc scriptore versatus est. Cum vero meum sit demonstrare, ubi Tacitus potissimum poetarum rationem secutus sit, duo horum enuntiatorum genera distinguenda videntur: enuntiata, quae in protasi coniun-

ctivum plusquamperfecti (rarius: imperfecti), in apodosi indicativum imperfecti exhibent, deinde, quae in protasi plusquamperfecti coniunctivum in apodosi eiusdem temporis indicativum praebent. Cuius usus rationem antequam expediam, exempla Tacitea afferam.

a) Atque primi generis exempla haec sunt: Agr. 37 coeperant, ni—opposuisset; **hist.** 1, 15 si adoptarem, egregium erat; ib. 16 si stare posset, dignus eram; 3, 46 parabant, ni—opposuisset; (cuius verbi indicativum imperfecti cf. hist. 4, 36; An. I, 23. XIII, 5.) hist. 3, 81 deerant, ni — omisisset; 4, 6 si caderet, sternebatur; 4, 19 opprimi poterant, si clausissent; 5, 26 si defenderer, fides debebatur; **An.** 1, 23 ni—pernotuisset, aberant; ib. 35 deferebat, ni—attinuissent; ib. 42 si—aspernaretur, tamen mirum et indignum erat; ib. 63 trudebanturque, ni—instruxisset; ib. 65 ni—prohibuisset, erant; 2, 10 cohibebantur, ni—attinuisset; 2, 45 praepollebat, ni—perfugisset; ib. 46 sperabaturque, ni—subduxisset; 3, 14 divellebant, ni—protectae repositaeque forent; ib. 28 intentabatur ni—duxisset; 4, 30 ibaturque, ni—conquestus esset; ib. 71 ni destinatum foret, avebat; 6, 3 (9) decernebatur, ni professus foret; ib. 36 (42) abscedebat, ni—fecisset; ib, 43 (49) si—petivisset, cedebant; 11, 10 avebat, ni—cohibitus foret; ib. 34 offerebanturque, nisi iussisset; 12, 39 sistebat, ni—excepissent; 13, 2 ibaturque, ni—issent; 16, 32 ruebat, nisi obstitissent.

Exemplorum magna series demonstrat, quam frequens sit hic usus apud Tacitum. Jam quae a quovis qui illa legerit statim animadvertuntur haec sunt: non esse in iis concinnam illam et ad Ciceronis sermonem aptam formarum compositionem. Libera enim sunt enuntiata condicionalia illa ab arcta et severa forma hypothetica, quamquam particula condicionalis mansit, neque verbi modus, quem apodosis habet, modali forma, quae est in protasi, regitur; quare propemodum libera apodosis est ac sui potens. De cuius usu ratione recte igitur Madvigius (l. l. §. 348) enuntiatum primarium quodammodo ex condicione non pendere, sed suas ipsius partes obtinere docet. In exemplo illo an. 1, 35 „Germanicus ferrum deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent“ utriusque enuntiati ratio solutior est quam ut verbum „deferebat“ ita sese ad formam „attinuissent“ applicaret, ut et ipsum assumeret coniuncti-

vum modum. Tempus praeteritum quod in apodosi est narrat rem aliquam, sed quae modo narrata sunt statim condicione aliqua astringuntur. Quae hactenus disputavi ad ea quoque enuntiatorum genera pertinent, in quorum apodosi perfecti vel plusquamperfecti indicativus legitur. Neque tamen, quamquam communis est eorum ratio, ad unam eandemque normam revocanda sunt, quare iam quid peculiare illud genus habeat videamus. Jam igitur si protasis eam vim haberet, quae exprimeret, rem sive actionem quae in apodosi indicativo imperfecti vel plusquamperfecti praedicatur, omnino non factam esse, nullum esset inter indicativum et coniunctivum discrimen atque oratio idem valeret ac si legeretur: Germanicus ferrum detulisset in pectus, ni– attinuissent. Sed aliter statuendum est, nam res sive actio illa, quamquam conditio qua penitus negari videtur addita est, servat tamen facti vim; cum vero quin addita condicione aperte quid negetur dubitari nequeat, dicemus non actionem quatenus omnino facta sit, sed eius exitum tantum ac plenum absolutumque effectum negari. Germanicus ferrum e vagina eduxit ac pectori imposuit, paratus igitur erat ut in pectus suum deferret. Dramaticus ille color prorsus deesset, si legeremus: Germanicus detulisset ferrum in pectus. — De quorum enuntiatorum ratione praeclare Rothius (ad Agr. Exc. XXIX pag. 255) disputavit, liceat igitur mihi hic eius verba adscribere: „Es muss ein conditionaler Satz aus dem, was dem nisi vorangeht, entwickelt werden und dieser Satz enthält jedesmal das, was geschähen wäre, wenn das Folgende nicht eingetreten wäre . . . Die Stellen bei Tacitus sind in grosser Anzahl vorhanden. Meistens wird dadurch der Anfang eines Zustandes oder Handlung bezeichnet, die einen bestimmten Erfolg gehabt hätten, wenn nicht ein Hindernis eingetreten wäre“ cf. etiam Reisig-Haase l. l. § 311 pag. 477 Kühner l. l. pag. 932; Jungclaussen: Quaest. synt. de Tacit. serm. propr. in usurp. verbi temp. modis particip. pag. 8. — Restat, ne quid Tacito temere adscripsisse videamur tamquam peculiare, quod apud alios scriptores inveniatur, ut de historia eius haec addamus: reperiri quidem eundem usum apud Ciceronem sed rarissime (cf. Zumpt §. 519 b. qui recte docet, hoc genus ab iis exemplis differre, ubi vocabula, „debebat, decebat, aequum erat,“ sim. in apodosi leguntur) tum apud Livium (cf. IV, 52; VI, 21) Sal-

lustium (cf. Kritz ad Jug. 85, 48) denique apud aequales Taciti.—

Non praetermittenda sunt ea quoque exempla, quae in apodosi perfecti indicativum exhibent: dial. 17 si—pertraxisset, potuit; Agr. 31 nisi— vertisset, potuere; hist. 1, 64 prope—exarsere, ni—admonuisset; 3, 9 quodsi affuisset—potuere; 4, 34 si—maturasset, — potuit. Quo in genere nihil tamen est, quod Tacito prae ceteris scriptoribus proprium sit. Omnia enim illa exempla, uno excepto formas „potuit" vel „potuere" in apodosi habent, quarum ea est natura, ut iam ipsa notione verbi modalem vim, quae coniunctivo significari solet, exprimant. In exemplo quidem, quod tertio loco posui modale illud verbum auxiliare non inest, sed apodosi particula modalis „prope," quae perfecti indicativo apud Tacitum iungitur (cf. hist. I, 80; II, 16, 30), addita est. Sunt denique loci ita comparati, ut per ellipsin explicari nequeant: tota enim cogitatio cum negetur, nulla pars quae condicione astringatur reliqua est. cf. Jungclaussen l. l. pag. 9.

b) Poetarum dicendi generi magis convenire videntur enuntiata condicionalia, quae in protasi coniunctivum plusquamperfecti, in apodosi indicativum plusquamperfecti exhibent. Cuius rei exempla exstant apud Verg. Aen. 2, 55 Et si fata deum, si mens non laeva fuisset impulerat ferro Argolicas foedare latebras (cf. Wagner ad h. l.); Hor. car. 2, 17, 28 Me truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextra levasset; id. ib. 3, 16, 3 Inclusam Danaën . . . excubiae munierant satis . . . si non Acrisium . . . custodem Juppiter et Venus risissent. [1]) Eodem modo loquitur Tacitus Agr. 37 circumire terga vincentium coeperant, ni—Agricola — opposuisset; Hist. 3, 27 Incesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut inritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent; An. 4, 9 si modum orationi posuisset, misericordia — animos impleverat; 6, 9 (15) contremuerant patres, ni—exemisset; ib. 43 (49)

---

[1]) Cicero uno loco (ad fam. 12, 10, 3) hoc dicendi genere usus est et Madvigius docet, ea exempla inprimis apud poetas legi (cf. l. l. §. 348. c); plurima sunt apud Taciti aequales, apud Florum, Senecam, Plinium.

si — nationes petivisset, opressa (scil. erat) cunctantium dubitatio (cf. Draeger ad h. l.); 11, 37 ni—properavisset, verterat pernicies in accusatorem; 15, 50 animum extimulaverant, nisi retinuisset.

Quae modo congessimus exempla et usu et ratione proxime accedunt ad primum genus condicionalium enuntiatorum, ubi in protasi coniunctivus plusquamperfecti (vel imperfecti), in apodosi indicativus imperfecti leguntur. Quae quidem exempla primi generis ideo similia sunt, quod apodosis facti vim quamquam condicione adstrictam servat. Atque hist. 3, 27 „incesserat, ni—monstrassent." Tacitus narrat, militum, qui solitis incitamentis ad pugnam capessendam compelli non possent, animos cunctationem penitus incessisse; cunctatio igitur re vera facta est, at ea militum conditio, is status repente et inopinato eventu tollitur. Differt autem hoc genus a primo, quod ad eum explicandum cogitatione interposito membro opus non est. Rei enim quae facta est aliud quid opponitur, quo illam finitam esse docemur, ne impeditam fuisse putemus. Quae cum ita sint, eiusmodi enuntiata condicionalia adversativam naturam assumunt, quasi dictum esset: incesserat cunctatio, sed — monstraverunt. De particulae „nisi" adversativo usu cf. Roth. l l pag. 254. —

Ad idem genus condicionalium enuntiatorum pertinent exempla, ubi in protasi coniunctivus legitur, in apodosi infinitivus perfecti, qui ex oratione obliqua pendet: Agr. 4 memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius— hausisse, ni prudentia incensum ac flagrantem animum coercuisset; Agr. 13 agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni—ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Quae exempla proxime ad idem genus accedunt, nam in directa oratione Tacitus scripsisset priore loco: „Agricola hauserat, ni coercuisset" altero loco: „agitaverat Caesar, ni fuissent." Attulimus haec exempla, ne quis cum Walchio priorem locum in directam orationem sic mutaret: hausisset, ni coercuisset. Virum enim doctissimum propria enuntiatorum condicionalium, quae sunt apud Tacitum indoles fugit, quare a Wexio (cf. l l. pag. 12) acerbissimis verbis reprehenditur.

De enuntiatis, quae in protasi coniunctivum, in apodosi participium futuri activi exhibent, iam supra disputavimus. cf. pag. 10.

**E)** Non tam ad poeticum colorem quam ad argenteae quae vocatur aetatis proprietatem referendus est **coniunctivi** usus, cuius exempla leguntur: hist. 2, 2 haud fuerit longum; ib. 72 absurdum fuerit; an. 15, 41 haud promptum fuerit.

Quem coniunctivum argenteae aetatis scriptores et inprimis Quintilianus facilem quandam et lenem modestiam simulantes in enuntiatis absolutis quae dicuntur nimium saepe ponunt, ubi Cicero fortiter indicativo sine dubitationis falsa specie utitur. —

Argenteae aetatis proprium quoque est, ut coniunctivus potentialis in enuntiati partibus ex particulis „ut, ne“ pendentibus ponatur, ut dial. 34 Hunc sectari — adsuescebat, ita ut altercationes quoque excipere et iurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret. ib. 40 omnia, ut sic dixerim, omnes poterant; Agr. 3 ut ita dixerim; Germ. 2 utque sic dixerim; an. 6, 22 (28) ne nunc incepto longius abierim; ib. 14, 53 ut sic dixerim. De qua re cf. Jungclaussen l. l. pag. 11; Draeger l. l. pag. 13.

Haec de temporum et modorum usu. Jam aggrediamur

## Caput II

et disputemus de proprietatibus Tacitei sermonis

## *in componendis enuntiatis.*

Totam hanc quaestionem in partes duas divisimus, quarum altera poeticum Tacitei sermonis colorem in enuntiatis simplicibus, altera in compositis demonstraret. Ac primum quidem disputemus

### A.

### *De enuntiatis simplicibus.*

Hoc loco inquirendum est nobis inprimis in peculiarem generis usum.

Si varia inanimorum substantivorum genera comprehendantur, Cicero adiectivum praedicatum ita adhibet, ut in neutro genere plur. num. ponat. Exempla, ubi adiectivum cum ultimo subiecto vel cum eo, quod praecipue premendum est, construitur, apud praestantissimos prosae orationis scriptores exstant pauca: cf. Cic. off. 1, 4, pulchritudinem, constantiam, ordinem — conservandum; id. legg. 1, 1 lucus ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus (i. q. lucus cum quercu); id. nat. deor. 2, 28 et formae et aetates vestitus ornatusque noti sunt. Et Tacitus in generis constructione paucis admodum locis a vulgari loquendi ratione recessit. Insignem locum, ubi adiectivum praedicatum ad duo varii generis subiecta relatum non in neutro genere sed in masculino ponitur, legimus An. XI, 25 iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti. Quibus substantivis (iudicium ac pudor) Tacitus hoc loco poetarum morem secutus pro personis videtur uti, qua de causa dicit „permixti“ (cf. Reisig l. l. §. 188 pag. 315). Ritterus legit hoc loco contra codicis auctoritatem „permixta“. Equidem librarium hoc loco errorem facile committere potuisse non nego; at saepius apud alios scriptores adiectivum praedicatum non cum subiecto construitur, praesertim cum genetivus alicuius personae adiungatur cf. Liv. 23, 16 partem militum in castra remittit, iussos apparatum oppugnandae urbis afferre; id. 10, 34, 3 Samnitium caesi tria milia ducenti, capti quatuor milia ducenti; multis aliis locis, qui subiectum quod vocatur grammaticum „milia“ praebent (cf. Liv. 37, 39; 44, 12) cf. etiam Liv. X, 1 capita coniurationis virgis caesi ac securi percussi. Quod cum ita sit, equidem codicis scripturam retinendam esse censeo. Eodem modo Tacitus non grammaticum, sed ut ita dicam, logicum subiectum respexit An. XIV, 20 decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos; [1]) XIV, 61 sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi cf. Liv. 4, 45 servitia, ut arcem Capitolium armati occuparent. —

---

[1]) Aliter de hoc loco censet Draeger (l. l. §. 30. b. pag. 16): „Für unerträglich halte ich das ἅπ. εἰρ. an. XIV, 20 decurias expleturos. Desgleichen kommt niergends vor und man muss entweder

Hactenus masculinum genus pro neutro usurpari vidimus: contra si quem in ludibrium verti vult, Tacitus neutro genere pro masculino utitur: An. 1, 46 dum patres et plebem, invalida et inermia cunctatione ficta ludificetur; XIV, 48 carnificem et laqueum iam pridem abolita. — Quae adiectiva vim substantivi obtinent et comparari possunt cum Vergilianis locis in Aen. IV, 569 varium et mutabile semper femina; id. Ecl. 3, 80 triste lupus stabulis.—Apud Ciceronem paucissimis locis adiectiva „commune, proprium, extremum" eodem modo construuntur cf. Reisig l. l. §. 185 pag. 310 et Haasii not. 325; Kühner l. l. II, pag. 36.

In congruendis numeris, de qua re accuratissime disputavit Andresen in appendice Nipperdeyanae editionis Taciti Annalium vol. II., nihil est, quod poetarum dicendi generi proprium sit. —

b) Praetermittere non possumus, quin hoc loco paucis de praedicati ellipsi disputemus.

Ellipsis praedicati a Tacito creberrime usurpari non est quod moneam. Cum vero eiusmodi ellipsis iam apud Ciceronem multa exstent exempla, ea nobis afferenda sunt, quae Taciteo sermoni poeticum quendam colorem addunt.

I) Inprimis huc referenda sunt verba, quibus notio dicendi vel sentiendi inest. Secundum Nipperdeyi observationem (cf. not. ad an. I, 9 et XIV, 61 omittuntur haec verba:

α) si ea, quae sequuntur verba clare et aperte orationem personae, quam scriptor antea nominavit, continent dial. 4 et Maternus: perturbarer hac tua severitate, nisi—vertisset; ib. 15 tum Aper: non desinis, Messalla, vetera—mirari. ib. 25 tum Messalla: sequar praescriptam a te, Messalla, formam; ib. 28 et Messalla: non reconditas, Materne, causas requiris; ib. 33 deinde cum Aper quoque et Secundus idem adnuissent, Messalla quasi incipiens: quoniam initia et semina—satis demonstrasse videor 42 finierat Maternus, cum Messalla: erant quibus contradicerem. —

Cuius quidem rei exempla apud omnes rerum scriptores u-

expleturas schreiben oder mit Ritter die Worte decurias equitum als Glossem betrachten." Similem locum apud nullum scriptorem inveniri, facile viro docto concedo; sed ex mea quidem sententia in explicanda Tacitei sermonis proprietate non solum quaeritur sit similis locus apud alium scriptorem necne, sed etiam id agitur, utrum certa analogia sit.

bique invenias. Paulo audacius adhibet Tacitus hanc ellipsin Germ. 18 hoc—denuntiant, sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae—reddat; hist. 5, 16 exhortatio ducum non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis veterem nominis gloriam, antiquas recentesque victorias; ut perfidum victum hostem in aeternum excinderent, ultione magis quam proelio opus esse. . . . An. I, 9 At apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Illi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae—neque parari possent, neque haberi per bonas artes . . . ib. 41 quis ille flebilis sonus? quid tam triste; 14, 61 quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius, non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet . . .

β) si sermo paulo fervidior est: dial. 6 coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum quemcumque orator induerit! An. 14, 6 observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens: solum insidiarum remedium esse, si non intellegeretur. ib. 8 ac si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus paraturus, nihil se de filio credere.

γ) si simile verbum antecedit vel sequitur; dial. 10 sentio, quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri ib. 30 notus est — liber —, in cuius parte — quandam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile didicisse Hist. 3, 13 ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem —, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius. ib. 24 tum ad Moesicos conversus principes auctoresque belli ciebat — haec, ut quosque accesserat, plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens ib. 78 nec defuere qui — arguerent — alii ficta haec et in gratiam Muciani composita; 4, 75 cum Civilis et Classicus misere ad Cerialem epistulas: — ad ea Cerialis Civili et Classico nihil. 5, 2 sunt qui tradant —clara alii Judaeorum initia; ib. 25 inter Batavos quoque sermones orti: — haec vulgus, proceres atrociora; Ann. 1, 28 Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessurum, qua pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur, ib. 31 Igitur audito fine Augusti vernacula

multitudo — implere ceterorum rudes animos: venisse tempus quo veterani -- exposcerent. ib. 39 Pavidos et conscientia vaecordes intrat metus: venisse patrum iussu, qui inrita facerent, quae — 2, 5 at ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent. Fundi Germanos acie . . . ib. 45 ac tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat, reciperatam libertatem — ostentabat; contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse foedus — 3, 45 Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite, ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur; id satis ad victoriam **ibidem:** Ipse —memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent; quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus victis. 13, 14 Simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, inferos Silanorum manes invocare, et tot inrita facinora. **ib.** 56 Et commotus his Avitus, patienda meliorum imperia: id dis, quos inplorarent, placitum, ut — Haec in publicum Ampsivariis respondit; ipsi Boiocalo, ob memoriam amicitiae daturum agros; 14, 33 ibi ambiguus an illam sedem bello delegeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam; 15, 17 Ille respondit -- Non ea imperatoris habere mandata Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum — 15, 52 Sed abnuit Piso invidiam praetendens si sacra mensae diique hospitales caede cruentarentur: melius apud urbem in illa invisa et spoliis civium extructa domo vel in publico patraturos, quod pro re publica suscepissent. —

*δ*) si in enuntiato, quod sequitur, sententia personae cuiusdam antea nominatae oratione obliqua adnectitur: Agr. 15 Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere. Nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur . . hist. 4, 76 apud Germanos diversis sententiis certabatur. Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes; 5, 25 Civilis rabie semet in arma trusos; Ann. 1, 38 Deinde intumescente mo-

tu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari; ib. 11 solam divi Augusti mentem tantae molis capacem; 4, 38 quod alii modestiam, multi — interpretabantur Optumos quippe mortalium altissima cupere . . ib. 70 et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum, id ipsum paventes, quod timuissent Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota . . 12, 5 Quin et incertum· ib. 17 Quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: belli potius iure caderent. ib. 12 ita dignum maioribus suis et familia Cassia per illas quoque gentes celebrata. 15, 5 sibi imbecillum equitem pabuli inopia . . .

Collata illa exempla satis demonstrant, Tacitus poetarum more liberius quam priores rerum scriptores in ea re versatum esse cf. Verg. Aen. II, 40; X, 441; Liv. 2, 12; 21, 18.

Vergilii dicendi rationem respexisse Tacitus videtur, cum omitteret dicendi verbum an. 12, 62 orsi a foedere; 15, 26 orditur magnifica de auspiciis; 15, 2 atque ita orditur; XVI, 30 Ostorius — ingreditur orditurque de amicitia; aliis locis. cf. Verg. Aen. 2, 2 sic orsus ab alto; ib. 1, 325 Sic Venus et Veneris contra sic filius orsus; ib. 12, 806 sic Juppiter orsus.

II) Porro omittuntur a Tacito poetarum more movendi et agendi verba, quae facile e praepositione vel adverbio vel e tota sententia antecedente intellegi et suppleri possunt: dial. 36 hinc leges assiduae et populare nomen, hinc contiones magistratuum paene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. **Agr.** 11 ut inter barbaros 13 Mox bella civilia. 17 Multa proelia et aliquando non incruenta. 18 Ut in dubiis consiliis. 19 Nihil per libertos servosque publicae rei. 22 Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit; seu centurio seu praefectus. 33 Jamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu. 39 tamquam inde initia gentis. **Germ.** 12 distinctio poenarum ex delicto 14 materia munificentiae per bella et raptus. 19 melius quidem adhuc eae civitates 21 quantum ad ius hospitis 37 medio tam longi aevi spatio multa invicem damna 37 inde otium 38

in aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueborum seu imitatione, rara et intra iuventae spatium. 38 neque enim ut ament amenturve. **Hist.** 1, 31 pergunt etiam in castra 26 nec deerat Otho protendens manus adorare vulgus, iacere oscula et omnia serviliter pro dominatione. 65 multae invicem clades crebrius infestiusque quam ut — pugnaretur. 83 tumultus proximi initium non cupiditate vel odio — ac ne detractione quidem aut formidine periculorum. 84 Vos quidem istud pro me. III, 38 cetera in maius de apparatu et solutis in lasciviam animis. 67 voces populi blandae et intempestivae, miles minaci silentio.

**Ann.** 1, 43 Melius et amantius ille qui gladium offerebat. 65 utque tali in tempore (cf. II, 4); IV, 13 atque haec callidis criminatoribus. 22 quasi principis monitu. 38 Melius Augustum, qui speraverit. 57 Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam. VI, 10 (16) Haec apud senatum. 50 (56) pavor hinc in omnes. XIII, 40 ubi nihil temeritate solutum nec amplius quam decurio audentius progressus (sc. nec amplius factum est); XIV, 7 post Seneca hactenus promptius (sc. egit); ib. 8 quod nemo a filio ac ne Agerina quidem (sc. veniret) XV, 13 nec aliud quam munimenta propugnabant; XVI, 19 nec codicillis quidem, quod plerique pereuntium Neronem adulatus est Apud Ciceronem nonnunquam verba movendi, raro agendi (in epistulis) desiderantur; apud Caesarem similia exempla, quantum scio, non leguntur.

III) Saepissime omittitur apud Tacitum verbum „esse“ in omnibus temporibus modisque.

In omissum indicativum verbi „esse“, quippe quod multis locis apud praestantissimos prosae scriptores inveniatur, inquirere nobis non proposuimus; ceterum huius rei exempla apud Tacitum ubique invenias. Peculiari modo adhibet Tacitus coniunctivi modi ellipsin:

*α*) si alter coniunctivus sequitur an. 1, 9 quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus, quod Nolae in domo et cubiculo, in quo pater — vitam finivisset; ib. 35 ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quonam tribunos, quo centuriones exegissent; ib. 65 cum barbari—complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces (sc. essent) atque ipsi passim adiacerent vallo; 15, 27 scire quantum intus discordiarum,

quamque regeret; 4, 22 tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset; 6, 35 (41) modo equestis proelii more frontis et tergi vices, aliquando ut conserta acies – pellerent pellerentur. ib. 37 (43) quia eorum, quae terra caelove portenderentur, certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omnia raperetque; **Hist.** 1, 21 proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset; ib. 40 igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem trucidare pergerent 79 tamquam ipse felix bello et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset. IV, 34 tamquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset. **Agr.** 24 idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana arma, et velut e conspectu libertas tolleretur. **Germ.** 19 ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne ament.

β) in interrogationibus indirectis et exclamationibus.

**dial.** 18 nec quaero, quis disertissimus **Germ.** 9 unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi 13 magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites 45 Nec quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve. Hist. 2, 42 is rumor ab exploratoribus Vetellii dispersus, an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum; III, 56 quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urguendo trahendove bello modus; IV, 62 quale illud iter? quis dux viae? Ann. 1, 11 se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. 16 quaenam post Augustum militiae condicio. 48 nullo nisi consciis noscente, quod caedis initium, quis finis; II, 14 et quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae, disserit. 36 unde prospici posse, quae cuique tam longo temporis spatio mens domus fortuna? 63 quam propinquus Italiae hostis. 76 quid agendum; III, 11 quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo. 40 quam inops Italia, quam inbellis urbana plebes; 45 quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis; 52 Sed Tiberius saepe apud se pensitato, — quam indecorum adtrectare. XI, 15 viderent pontifices, quae retinenda firmandaque haruspicum, 23 an parum. XV, 62 rogitans, ubi praecepta sapien-

tiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia. — Coniunctivi modi ellipsis a prioris aetatis rerum scriptoribus paucissimis locis usurpatur; saepe eadem ellipsis apud poetas invenitur, ut Verg. Aen. V. 649 Vide, qui vultus; ib. VI, 136 accipe, quae peragenda prius.

Commemoranda est denique ellipsis infinitivi;

*α*) praesentis: dial. 5, 6, 8, 10, 12, 13, 15, 18, 19, 20, 21, 23, 25, 28, 32, 33, 37. Agr. 4. 25, 27, 29, 35, 39, 41, 42, 43, 46 Germ. 2, 3, 8, 9, 11, 13, 31, 39; hist. III, 2; IV, 14, 17, 49. 57; V, 25 An. II, 15, 70; III, 58 VI, 21; XI, 23; XII, 5; XIII, 4, 20, 42, 49; XIV, 3, 11, 18, 33; XV, 12; XVI, 27.

*β*) perfecti: dial. 39 Germ. 28; Hist. II, 37; An. II, 31, 73; III, 16, 17. 22; IV, 18; XI, 3, 11; XIII, 1; XV, 16, 22, 67.

Sequitur, ut disputemus de Tacitei sermonis proprietatibus

## B.

## *in enuntiatis compositis.*

Quam quaestionem ita instituamus, ut disseramus primum de proprietatibus Tacitei sermonis in coordinatione enuntiatorum, deinde in correlatione, tum in subordinatione.

## I.

## *de coordinatione enuntiatorum.*

**a)** Inprimis dicendum est nobis hoc loco de enuntiatis assyndetis.

Operae pretium est, accuratius investigare, quonam modo Tacitus omissis particulis copulativis enuntiata composuerit; sed ea res longius nos ab incepto traheret, quia illud loquendi genus cum poetis tum maxime oratoribus proprium est. (cf. Naegelsbach Lat. Stil. §. 198 — 202.)

Poetarum dicendi generi convenire magis videntur enuntiata assyndeta pro condicionalibus usurpata, cuius rei insignia exempla leguntur: hist. 4, 58 sane ego displiceam: sunt alii legati; an. 14 44 sane consilium occultavit telum inter ignaros para-

vit: num excubias transire . . . 15, 5 omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum (i. q. nisi omitteret, se quoque . . .) cf. Verg. Aen. VI, 30 tu quoque magnam partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes (si sineret) Liv. praef. § 11.

b) Iam instituenda est quaestio de enuntiatis, quae particulis copulativis iunguntur.

Admodum difficile est cognitu, quantum Tacitus in ea re poetarum rationem secutus sit, namque in peculiarem particularum copulativarum usum apud poetas inquirere nullus vir doctus passus est. Quod cum mecum reputo, magis atque magis dubito, num quaestio haec recte expediri possit, quamvis Ph. Spitta — cui viro docto me multa debere grato animo profiteor — diserte et copiose de particularum copulativarum usu Taciteo disputaverit (in libro, qui inscribitur: de Taciti in componendis enuntiatis ratione). Tamen ne dolo malo egisse videar et omisisse, quae mihi minus commoda acciderent, quae habeo, proferam omnia.

Particularum copulativarum vis tam late patet et tam infinita est, ut aliarum coniunctionum partes et sustineri possint et saepe sustineant. Quae quidem particulae sunt quasi vincula mollia atque flexibilia, quae prout conducit modo extenduntur modo ad exiguam ac tenuem vim sese colligunt:

α) Atque saepe usurpatur particula „et", ubi adversativam potius expectaveris. Quod quidem apud scriptores aureae quae dicitur aetatis eo redit, ut ad sententiam negativam accedat affirmativa quaedam, qua filum orationis continuetur (cf. Madvig l. l. §. 433, 2) vel ut vocabula contraria sibi opponantur (cf. Hand. Tursel. II, 494). Apud Tacitum usus hic paulum latior est, quem inter praecipuas proprietates eius habendum esse Nipperdeyus (in praef. ad ann. pag. 34) censet.

Peculiare igitur dicendi genus probare liceat mihi paucis exemplis: Agr. 3 nunc demum redit animus et quamquam — Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit — natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; Agr. 36 interim equitum turmae — peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intulerunt, densis tamen hostium agminibus haerebant; Hist. 1, 16 ne ipse quidem ad securas res accessi; et audita adoptione desinam videri senex quod nunc mihi unum

obicitur; ib. 76 idem ex Hispania adlatum, laudatusque per edictum Cluvius Rufus: et (Heraeus h. l. legit set) statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam; Hist. 2, 57 et paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res accepit (opponuntur verba iis quae ab initio capitis leguntur: iterim Vitellius victoriae suae nescius) Hist. 3, 60 satis gloriae proelio Cremonensi partum, et exitio Cremonae nimium invidiae; An. 1, 65 non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse; ib. 2, 55 neque tamen mitigatus Piso et vix diei moram perpessus; ib. 5, 3 missae litterae quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus; XII, 30 dum adipiscerentur dominationis multa caritate et maiore odio potquam adepti sunt; XVI, 5 adversum illustres dissimulationem ad praesens et mox reditum odium [1]) cf. etiam Agr. 15 sic Germanias excussisse iugum et flumine non Oceano defendi: verba „et flumine" tollunt ea quae sequuntur, positio membrorum inversa est, gravitatis causa hist. 1, 28 — et honestis An. 1, 38 et nihil ausos (cf. Nipperdeyi notam ad h. l. et ad an. XIV, 65).

Eodem modo particula „que" usurpatur. An. 13, 15 primum venenum ab ipsis educatoribus accepit tramisitque exsoluta alvo parum validum. Si praecedit sententia negativa, quae deinde alia sententia affirmativa continuatur, particula utique vulgaris est, ut Hist. I, 5; An. XI, 38; XII, 45 al.

Etiam particula „atque" adversativae loco adhibetur: Hist. 1, 40 milites Romani quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent. An. 12, 20 modicam victoribus laudem ac multum infamiae si pellerentur.

In qua re praecipue tenendum est, nunquam particulas „et" „que" „atque" idem valere atque „sed"; verum enimvero Romanorum scriptores in opponendis verbis contrariis saepe uti sim-

---

[1]) Nonnunquam duo adiectiva eodem modo coniunguntur: Hist. 3, 20 speciosis et irritis nominibus; An. 1, 13 Gallum Asinium avidum et minorem; 12, 52 factum senatus consultum atrox et inritum; 13, 46 procax otii et tempestatis temperantior; 14, 65 magna moles et inprospera; cf. Agr. 8; An. 3, 24; 6, 37; 14, 15; vid. Gerber et Greef Lex Tacit. pag. 397.

plici copula, ubi nos adversativam particulam adhibere soleamus.

β) Etiam disiunctivae particulae vice vocula „et“ ita fungitur, ut adversus duas notiones per „aut“ compositas alia duo verba coniungat, quae illas singillatim respiciant. Cuius rei insignia exempla leguntur: Hist. 2, 46 ut flexerat voltum aut induraverat Otho, clamor et gemitus, ubi vocabulum „clamor“ spectat ad verba „flexerat voltum,“ vocabulum „gemitus“ vero ad „induraverat“ An. 1, 69 ut quis inops aut saucius vestem et fomenta; 15, 59 fuere qui hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaqne militum et populi temptare (De qua re cf. Spitta l. l. pag. 12.)

γ) Commemoranda sunt etiam exempla, ubi ad sententiam quandam vel notionem vocula „et“ adiunguntur ea, quae sequuntur vel tam arcte cohaerent, ut simul semper incidant necesse sit: Hist. 3, 23 hinc maiores equorum virorumque umbrae et falso ut in corpore ictu tela hostium citra cadebant i. q. et ita factum est, ut —; hist. 4, 14 hinc invidia; et compositae seditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent; ib. 18 illuc incubuere Germani; et fuit interim effugium legionibus in castra quibus Veterum nomen est; V, 22 animadversum id Germanis; et insidias composuere; ib. 26 non fefellit Civilem ea inclinatio, et praevenire statuit; An. 12, 46 augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione impellit; ib. 29 mox diuturnitate in superbiam mutans et odio accolarum simul domesticis discordiis circumventus. — Inspicias velim locum qui exstat An. 13, 43 tum iussa Messalinae praetendi et labare defensio: cur enim neminem alium delectum, qui saevienti impudicae vocem praeberet? cui loco hic sensus videtur subesse: Messalinae iussa praetendit, ut sese defenderet; sed simul salutem in praeceps dedit id quod cum ea re arctissime coniunctum erat; iam enim ex eo quaesitum est cur cet; **Hist.** 1, 66 is diu sordidus repente divcs mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus inmoderatus et inopi iuventa senex prodigus (postremum enuntiatum tamquam rationis summam reddit); 4, 69 et Valentis animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur; V, 21 aderat fortuna etiam ubi artes defuissent. Hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae, et paucos post dies quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit; Ann. 1, 63 inde hostibus terror, fiducia

militi; et manibus aequis abscessum; 4, 36 obiecta publice Cyzicenis incuria caeremoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos; et amisere libertatem. De qua re cf. Spitta l. l. pag. 13 squ. —

Eodem modo adhibetur particula „ac“: An. 1, 12 unum esse corpus rei publicae atque unius animo regendum; ib. 35 saevum id malique moris etiam furentibus visum; ac spatium, quo Caesar in tabernaculum raperetur; 14, 12 Thrasea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus exiit tum senatu, ac sibi causam periculi fecit. —

Idem dicendi genus redditur particula „nec“: An. 12, 43 frugum quoque egestas et orta ex ea fames in prodigium accipiebatur, nec occulti tantum questus sed iura reddentem Claudium circumvasere. —

δ) Accuratius investigandum est loquendi genus, ubi particula „et“ singula verba vel enuntiata explicandi vel comprobandi causa copulantur.

Constat, apud priores prosae orationis scriptores saepe duo adiectiva coniungi, quorum alterum ex altero iudicio depromptum est, ita ut quod sequitur adiectivum simul accuratiorem primi adiectivi explicationem addat, id quod alias per relativam sententiam exprimi solet. (cf. exempla apud Hand Turs. II, 477) Tacitum autem in hunc modum particula „et“ coniunxit duo substantiva in An. 13, 46 Neronem paelice ancilla et adsuetudine Actes devinctum. Quod enuntiatum apte dissolvas: Neronem devinctum esse paelicis adsuetudine, quippe quae esset ancilla Acte, ita ut „adsuetudine“ ad „paelice“, porro „Acte“ ad „ancilla“ explicandi causa accedant; cf. 16, 12 liberto et accusatori praemium datur.

Simili modo duo enuntiata coniunguntur in An. 13, 21 sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam (cf. Nipperdeyi not. ad h. l.)

Huc referenda sunt etiam exempla, ubi ablativus absolutus particula copulativa iungitur cum aliquo attributo, ut an. 13, 20 compositus ad maestitiam expositoque iudicii ordine; 15, 12 ille interritus et parte copiarum apud Suriam relicta. Aliquando apud Tacitum duo enuntiata ita copulantur, ut alterum in epexegesis locum cedat cf. an. 13, 47 suspectabat maxime Cornelium Sullam,

socors ingenium trahens callidumque et simulatorem interpretando. (Verba „callidum — interpretando“ ea quae antecednnt accuratius expediunt.); XII, 14 rem in casum dare proelioque experiri iubet; cf. etiam an. XII, 15 et XIV, 51 de qua re cf. Spitta l. l. pag. 21. —

In omnibus his exemplis enuntiatum, quod antecedit, ut ita dicamus, generaliorem complecti sententiam, facile intellegitur. Contra quae dicitur epexegesis ita comparata est, ut id exprimat, quod maximi momenti est, prius autem enuntiatum nisi notionem generalem, quae praecedat necesse est, non indicat. Videamus exempla: An. 14, 47 adeo ut Nero aeger valetudine et adulationibus circum, qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam. (Si Nero non aegrotabat, etiam qui circumstabant, non sic adulari poterant); XV, 38 et quia alii palam faces iaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur (Non prius sed alterum causae erat, cur restinguere ignem non auderent); XIII, 32 Pomponia Graecina insignis femina Plautio—nupta a c superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa; XVI, 5 dum per angustias aditus ingruentem multitudinem enituntur. (de qua re cf. Spitta l. l. pag. 46 e. q. s.

ε) Temporis significatione per „e t“ nonnunqnam adiungitur enuntiatum, quod ad rem illo tempore factam referendum est, ita ut particula copulativa temporalis vice fungi videatur: an. 15, 40 necdum positus metus et redibat, haud levius rursum grassatus ignis; an. 1, 65 simul haec, et cum delectis scindit agmen; 4, 25 simulque coeptus dies, et—aderant; ib. 23 iam—et. Simile exemplum primum apud Vergilium apparet in Georg. II, 80 (De qua re cf. Em. Hoffmann, Zeitpartikel et Hand, Tursell. II, 483.

ζ) Ut particula „et“ loco particulae etiam,“ ita particula „n e c“ pro n e — q u i d e m“ peculiari modo usurpatur 12, 43 at Hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat, n e c nunc infecunditate laboratur hist. 4, 34 Vocula n e c adventum hostium exploravit; an. 2, 82 et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent. (cf. Draeger ad h. l.); Germ. 6 nec variare gyros (de qua re cf. Madvig ad Cic. fin. pag. 806 et 816 — 822, qui apud Ciceronem hoc dicendi genus inveniri negat.)

η) Ubi duae vel plures res non modo coniunguntur sed ae-

quantur ita ut alterum non minus intellegatur quam alterum, a praestantissimis prosae orationis scriptoribus usurpantur particulae „et — et.“ Tacitus autem poetarum more in hunc modum particulas „que — que“ adhibuit: an. 2, 3 seque regnumque an. 15, 38 quique sibi quique aliis. — Madvigius l. l. §. 435, 1 contendit particulas „que — que“ non inveniri nisi in singulorum verborum commissura. Cui quidem viri docti sententiae repugnat locus apud Tacitum in an. XVI, 16 meque ipsum satietas cepisset aliorumque taedium expectarem (cf. Nipperdey i not. ad h. l.)

Commemoranda sunt hoc loco etiam exempla, ubi duo vocabula per particulas „que — et“ peculiari modo componuntur, ut Agr. 18 hist. 4, 2 seque et cohortes; ib. 42 seque et delatores; an. 1, 4 seque et donum et pacem; ib. 2, 6 adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. hist. 1, 51 legiones, seque et Gallias expertae. hist. 4, 34 seque et proximos; an. 1, 71 sibique et proelio; XII, 37 ipsique — et coniugi; XII, 60 sibique et legibus; XIV, 31 regnumque et domum suam. — Simile dicendi genus conspicitur sex locis apud Sallustium; Ovid. amor. 3, 8, 37. —

Quae propria est adverbio „simul“ vis temporalis, cum saepissime retinetur tum apud Tacitum evanuit, ita ut „simul — et“ idem fere valeat atque „et — et“: An. 14, 2 simul suo periculo et infamia Neronis anxia; 15; 12 simul hostem famamque. —

**c)** In usurpandis particulis adversativis nihil est, quod poetarum proprium sit cf. Draeger Synt. u Stil des Tacitus §. 127 — 128.

In disiunctivarum vero et causalium particularum usu admodum pauca adnotanda videntur, quae ad poetarum dicendi genus pertineant.

Inprimis huc referendus videtur esse usus particularum „sive . . . . an,“ quae poetarum more idem valeant atque „sive . . . . . sive potius“: An. 11, 26 sive fatali vaecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus; cf. An. 14, 59 sive nullam opem providebat inermis atque exsul, seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum. Similia exempla inveniuntur apud Ovidium fast. 1, 327; III, 231; III, 773. —

In causalium vero usu non praetermittenda sunt anastrophae exempla particulae „namque: dial. 19 vidit namque; an. I, 5 acribus namque custodibus; 4, 21 is namque; cf. Verg. VI, 117 potes namque omnia; Liv. 23, 50 fuga namque ad Alliam; Hor. s. 1, 6, 57.

**d)** Paucissimis mihi hoc loco dicendum est de nominali quae vocatur appositione, quae poetarum more non uni verbo sed toti enuntiato additur: Germ. 16 solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium biemi et receptaculum frugibus; Hist. 1, 44 omnes conquiri et interfici iussit, munimentum ad praesens, in posterum ultionem; 4, 18 Civilis .... matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem; **Ann.** 1, 27 postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum; 1, 30 quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere; 1, 74 Marcellum insimulabant, sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen; 2, 64 audita mutatione principis inmittere latronum globos, exscindere castella, causas bello; 15, 39 sed solacium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit. — Similia nominalis quae vocatur appositionis exempla exstant apud Sall. or. M. Aem. Lep. 12: plebei innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum; ep. Mithr. 8. Eumenem .... prodidere Antiocho, pacis mercedem; Verg. Aen 9, 52 et iaculum attorquens emittit in auras, Principium pugnae (iure fetiali); XI, 60 mittit Mille viros, qui supremum comitentur honorem Intersintque patris lacrimis, solacia luctus exigua ingentis, misero sed debita patri. Apud Ciceronem et Caesarem similia exempla exstant nulla, (de qua re cf. Emanueli Hoffmanni: Der angeblich elliptische Gebrauch des Genetivus Gerundii und Gerundivi — Jahrbücher für class. Philologie 1874. tom. 109; et eiusdem ingeniosissimi viri: Studien auf dem Gebiete der lateinischen Syntax. Wien. 1884. pag. 115.)

Haec de coordinatione. Jam sequitur, ut disputemus

## II.

## *de correlatione enuntiatorum.*

Explananda vero sunt hoc loco enuntiata, quae vocantur comparativa.

In componendis enuntiatis praestantissimi prioris aetatis scriptores certam aequalitatis formam observantes cum aliud tum id studuerunt, ut in demonstrativa et relativa enuntiati parte eundem adiectivi gradum ponerent. Posterioribus prosae orationis scriptoribus molestum videbatur, si observata aequalitatis forma ex priore sententiae membro iam posterioris mente praecipi poterat, quam ob rem haud raro in demonstrativo membro comparativum gradum, in relativo positivum adhibebant, ut Tacit. An. XII, 11 quanto ignara barbaris tanto laetiora capesserent. —

Nihil perversius est opinione eorum virorum, qui putent, quaecunque apud Tacitum diversa sint ab aureae aetatis scriptorum loquendi more ea statim deteriora habenda esse.

Ad eorundem virorum numerum referendus est etiam Draeger, qui de enuntiatis comparativis (l. l. §. 181 d) haec ait: „Solche Ungenauigkeiten in den Comparativsätzen finden sich zerstreut bei Plautus, Livius, Sallust und noch bei Gellius, aber Tacitus ist darin zu weit gegangen.“ Qui de hac re sic statuerit, Taciti dicendi genus parum perspexit.

Ex mea quidem sententia illud dicendi genus non ex vano mutandi studio, sed ex altiore cogitandi ratione profectum est. Optime de hac re disputavit Haasius (ad Reisig. Lat. Gram. pag. 401 §. 402); temperare mihi igitur non possum, quin verba viri doctissimi proferam: „Der Positiv, docet Haasius, ist nicht für den Comparativ gesetzt; jener hat vielmehr seinen Grund; er bezeichnet eine Classe, einen Zustand an sich, dem anzugehören die Steigerung eines anderen Praedicats zur Folge hat, und zwar in dem Maße als man jenem mit Recht oder Unrecht (nicht mehr oder weniger) angehört; es ist also beim Positiv nur die Frage, ob das Prädicat überhaupt passe oder nicht, weshalb auch oft das dabeistehende quanto sich zu dem Sinn einer condicionalen oder causalen Conjunction hinneigt.“

Simili modo explicandi sunt loci, ubi in relativo enun-

tiato gradus comparativus admittitur. Insigne huius rei exemplum legimus in An. I, 2 ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur. Cuius loci sensus hic est: Omnes, qui supererant nobiles cum servitio prompti essent, opibus et honoribus extolli non poterant; extollebantur igitur servitio promptiores. Spernenda igitur est sententia Draegeri, qui (l. l. §. 181) hoc loco „eo magis“ supplendum esse censet. —

Eadem ratione explicandi sunt loci: hist. 1, 14 quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat. hist. 2, 11 sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat; an. 6, 26 (32) quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intemptatus, honestum finem voluisse cf. Liv. I, 25; V, 10; XXI, 31.—

Non praetermittendi sunt loci, ubi in eodem enuntiato et comparativus et positivus gradus adhibetur: an. 2, 5 quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celebrandae victoriae intentior; III, 43 apud Aeduos maior moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium; XVI, 18 ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. —

Duo adiectiva vel adverbia, si inter se comparentur, apud praestantissimos prioris aetatis scriptores in comparativo gradu poni constat. Sic Tacitus quoque locutus est: Ger. 36 iucundius quam tutius. Agr. 44 decentior quam sublimior Hist. 2, 24 avidius quam consultius; 4, 65 avidius quam cautius; An. XV, 3 compositius quam festinantius. — Nonnunquam Tacitus a vulgari loquendi consuetudine ita recessit, ut in relativo membro positivum gradum usurparet; Agr. 3 vehementius quam caute; hist. 1, 83 acrius quam considerate. —

In demonstrativo et relativo membro gradus positivus legitur an. XIV, 61 libens quam coactus. Draegerus (l. l. §. 181 b.) hoc loco et — Germ. 6 consilii quam formidinis arbitrantur; an. 1, 57 quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus; 1, 58 pacem quam bellum probabam; 1, 68 quanto inopina, tanto maiora; 3, 4 quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium; 3, 17 miseratio quam invidia augebatur; 5, 6 per mae-

rorem quam laeti — vocem „magis“ vel „potius“ supplendam esse censet. Minime recte. Praeclare de hac re Haasius (l. l. pag. 101): Eine ähnliche Bemerkung ist für den Fall zu machen, wo man wohl richtiger sagte potius sei ausgelassen als magis; wenigstens darf dies letztere nicht verstanden werden, als ob zwei Praedicate dem Grade nach verglichen würden; vielmehr ist keins von beiden zu ergänzen, sondern die Partikel quam hat für sich allein den Sinn angenommen, zwei Prädicate so in Vergleichung zu stellen, dass das eine ausgeschlossen wird, also z. B. Tacit. An. III, 32 paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat ist nur ein gelinder wenig entschiedener Ausdruck als non ignominiae sed honori.

Haec de correlatione enuntiatorum. Restat, ut paucis disputemus de Tacitei sermonis proprietatibus

## III.

## *in subordinatis enuntiatis.*

Hoc loco instituenda est quaestio de infinitivi usu. Ac primum quidem de constructione nominativi cum infinitivo disseramus. —

Rothius (ad Agric. Excur. VI. pag. 127 – 131) censet, verba sentiendi et declarandi in passiva forma, si res satis certa et definita narranda sit, cum accusativo cum infinitivo, contra cum nominativo cum infinitivo construi, si res obscura ac minus certa proferenda sit. Cui quidem viri docti sententiae prorsus repugnant in Excur. VII. pag. 132 allata exempla, quae post plura sentiendi et declarandi verba in re certa ac definita saepe nominativum cum infinitivo usurpari demonstrant. De qua re rectissime disputat Haasius [1]) (l. l. not. 605 pag. 793) qui docet, aureae aetati

---

[1]) Cuius viri doctissimi haec sunt verba: Die Sache verhält sich ohne Zweifel so: Wenn man videri, dici, credi u. s. w. mit zwei Nominativen construiert, so leugnet Niemand, dass sie nichts weiter sind, als modificierte Formen der Copula esse, welche, wie diese, Subject und Prädicat verbinden, nur in specieller Art, indem dadurch nicht einfach praediciert, sondern das Praedicat als

eam legem esse, ut nominativus cum infinitivo pendeat ex iis inprimis verbis, quae et notione et usu ad verborum auxiliarium similitudinem comparata sint; eorumque verborum numerum, qui apud Ciceronem exiguus est, posteriores scriptores ratione linguae habita aliis quoque verbis auxisse. —

Atque Tacitus utitur nominativo cum infinitivo apud verba accusandi et convincendi: An. 2, 27 sub idem tempus — Libo Drusus defertur moliri res novas; 3, 22 Lepida — defertur simulavisse partum ex P. Quirinio; 6, 19 (25) Marius — defertur incestasse filiam; 13, 23 deferuntur dehinc consensisse Pallas ac Burrus; 13, 44 quippe mansitasse una convincebatur; 6, 3 (9) incusabatur facile toleraturus exilium; (cf. Amnian. 14, 11, 24 cum altius niti incusaretur); cf. etiam an. 4, 22 accusata iniecisse vaecordiam marito, et 4, 31 convictus pecuniam cepisse. — Ad analogiam verbi „dici" usurpatur nominativus cum infinitivo apud verbum „addi": an. XVI, 17 additur codicillis — ita scripsisse. —

Non praetermittenda sunt verba: „argui" an. 2, 50 quae de matre eius locuta secus argueretur; 6, 5 (11) Cotta Messali-

---

in der Meinung, dem Gerücht u. s. w. begründet dargestellt wird. An die Stelle des gewöhnlichen Prädicats kann aber auch ein Verbalbegriff im Infinitiv treten, da diese Verba ihrer Natur nach ebenso sehr geeignet sind, Modification des Seins und der Verba überhaupt zu geben, wie die Hilfsverba. Offenbar sind sie wie diese zu betrachten, und es geht demnach daraus hervor, dass in der Constr. des nom. c. inf. einfach ein Prädicat an ein Subject geknüpft wird in der Weise, dass das Verbum, welches das Prädicat enthält seinem Begriffe nach durch jene Verba modificiert wird. Werden dieselben dagegen impersonell mit dem acc. c. inf. gesetzt, so wird blos überhaupt eine Wahrnehmung und was daraus hervorgeht eine Meinung, eine Nachricht u. s. w. ausgesprochen, wobei der materielle Inhalt allerdings derselbe sein kann, wie in der ersten Weise; aber der Unterschied liegt in der Form. Dort ist das Subject die Hauptsache; von ihm etwas zu prädicieren ist die Absicht; es ist also entweder schon vorausgegeben oder man stellt es hin als den zu besprechenden Gegenstand, wobei es dann ganz unwesentlich ist, ob das Praedicat bestimmt oder durch ein dicitur und drgl. unbestimmt, oder sonst modificiert ausgesprochen wird. Beim acc. c. inf. tritt des Subject ganz zurück.

nus — arguitur — dixisse (iam apud Ciceronem cf. Draegeri not. ad an. 2, 27); „sperari“ hist. 2, 74 ceterae legiones secuturae sperabantur. „dubitari“ an. 3, 8 neque dubitabantur praescripta ei Tiberio. —

Simili ratione aetati suae indulgens Tacitus poetarum more adhibet nominativum cum inf. apud compositas verborum formas: hist. 1, 78 creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse spe vulgus adliciendi; hist. 4, 67 Sabinus—illic voluntaria morte interisse creditus; An. 4, 22 accusata (Numantina) iniecisse vaecordiam marito; 4, 31 convictus (Suillius) — pecuniam — cepisse, cf. 13, 44; an. 5, 4 Rusticus — meditationes eius introspicere creditus; 6, 34 (40) nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum; 6, 50 (56) creditus est mortalitatem explevisse (Tiberius); 13, 30 haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis; 14, 65 eodem anno libertorum potissimos interfecisse creditus est; 13, 35 adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, praeriguisse manus.—Apud quas verborum compositas formas praestantissimi prioris aetatis prosae scriptores sententiam semper ita conformabant, ut accusativum cum infinitivo adhiberent cf. Heraei not. ad hist. 2, 74; Madvig l. l. §. 400, c. —

Apud simplices vero verborum formas adhibetur accusativus cum infinitivo, ubi nominativum cum infinitivo expectaveris: hist. 1, 90 Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur (cf. Heraei not. ad h. l.) an. 2, 69 creditur animas numinibus infernis sacrari; 14, 48 credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam imperatori gloriam quaeri; cf. Liv. VIII, 26, 7; XXI, 22, 4; XXV, 38, 15; XL, 29, 8; — an. 4, 57 Traditur etiam matris inpotentia extrusum, cf. Sen. contr. 34, 27; Val Max. VI, 9, 6; — an. 6, 50 (56) adfertur redire Tiberio vocem ac visus vocarique, qui . . . . Germ. 33 nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur; cf. Plin. n. h. 35, 11, 121; Hist. 3, 79 plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur; an. 1, 36 nuntiabatur parari legatos. (De qua re cf. Nipperdeyi not. ad an. II, 69 et Draegerum l. l. §. 152)

Ad prioris aetatis scriptores eosdemque elegantiores proxime accedit nominativi cum inf. usus apud quae sequuntur verba; an. 1, 61 reliquiae consedisse intellegebantur; 15, 6 adventare Caesennius Paetus audiebatur; hist. 1, 53 mox compertum

publicam pecuniam avertisse ut peculatorem flagitari iussit (cf. Heraei not. ad h. l.) — De qua re cf. Nipperdeyi not. ad an. III, 8 et Madvig l. l. §. 400, c. De infinitivo apud adiectiva vel participia cf. Dissert. eiusdem partem priorem pag. 31.

b) Sequitur, ut de accusativi cum infinitivo usu Taciteo paucis disputemus.

Enumeranda vero sunt inprimis verba, quae apud prioris aetatis scriptores enuntiato finali, apud argenteae aetatis scriptores mutata propria vi poetarum more cum accusativo cum infinitivo construuntur:

**accusare:** an. 14, 18 accusantibus — violatum ab eo thesaurum cf. Just. 39, 3, 6.

**adnectere** an. 4, 28 et testis dicebat adnectebatque Caecilium Cornutum ministravisse pecuniam (ἄπ. εἰρ.) cf. coniunct. an. 2, 26.

**cordi esse:** hist. 4, 58 si vobis non fuit cordi me duce haec castra — servari cf. Liv. 9, 8, 8.

**dedignari (?)** an. 12, 37 neque dedignatus esses, claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem foedere (in) pacem accipere cf. infinit. an. 2, 34; 45.

**desiderare** dial. 27 neque hoc colligi desideramus cf. Plaut. Stich. 4, 1, 10.

**expostulare** hist. 1, 82 ostendi sibi Othonem expostulantes; 3, 83 erui iugularique expostulantes; an. 15, 17 ille Armeniam quoque — vacuam fieri expostulabat cf. coniunct. an. 12, 46. Verbum „postulare", quod iam apud Cic. or. 2, 22 cum acc. c. inf. construitur, apud Tacitum legitur: hist. II, 39; III, 81; IV, 2; an. II, 50; IV, 43; aliis locis.

**ferre** an. IV, 58 ferebant periti caelestium iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium; cf. an. 1, 74 tulit scil. sententiam, absolvi reum criminibus maiestatis cf. Nipperdeyi not. ad h. l.

**gratari** an. 6, 21 (27) praescium periculorum et incolumem fore gratatur; cf. Verg. Aen. 5, 39.

**impetrare** an. 12, 27 veteranos coloniamque deduci impetrat cf. Draegeri not. ad h. l.

**incusare** an. 3, 38 Rhoemetalcen quam Trebellenum incusans popularium iniurias inultas sinere.

**inlacrimare** an. 2, 71 inlacrimabunt quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse ἅπ. εἰρ.

**obsistere** Ger. 34 obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri ἅπ. εἰρ.

**obtestari** i. q. versichern, beteuern hist. 3, 10 aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans; 4, 57 obtestante Vocula non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam; **an.** 12, 5 summamque rem publicam agi obtestans; 14, 7 iam iamque adfore obtestans cf. Val. Max. 6, 2, 8.

**orare** an. 11, 10 quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant cf. Suet. Nero 47.

**permittere** hist. 1, 47 concedi corpora sepulturae cremarique permisit; hist. 4, 22 parum provisum, ut copiae in castra conveherentur; rapi permisere. An. 1, 72 in acta sua iurari permisit; 14, 12 Lolliae Paulinae cineres reportari sepulcrumque exstrui permisit cf. Draegeri not. ad XIV, 12.

**prohibere** hist. 1, 62 Caesarem se appellari etiam victor proh.; An. 1, 69 ni Agrippina pontem solvi proh.; 4, 37 cum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum — sisti prohibuisset; iam Cic. pro Marc. 8, 24; cf. Heraei not. ad hist. 1, 62.

**offendi** Agr. 42 sive offensus non petitum cf. Phaedr. 4, 10, 5.

**recusare** an. 1, 79 Velinum lacum — obstrui recusantes cf. Plin. n. h. 29 §. 16 quaestum esse recusabant; id. 35 §. 49 inlini recusant purpurissum.

**suadere** an. 12, 6 maritandum principem cuncti suadebant. cf. Lucr. 1, 141; Verg. Aen. 12, 813.

**urgere** an. 11, 26 abrumpi dissimulationem Silius—urgebat.

**coarguere** Germ. 43 Gottinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos cf. bell. Afr. 68; Quintil. 4, 2, 4.

Eodem modo a verbis dubitandi pendet accusativus cum infinit. dial. 18 num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur; hist. 2, 46 ut nemo dubitet, potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus 4, 49 nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; **Ann.** 2, 36 haud dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii temptari; 2, 26 nec dubium

habebatur labare hostes petendaeque pacis consilia sumere, et si proxima aestas adiceretur, posse bellum patrari; 2, 43 nec dubium habebat se delectum, qui Suriae inponeretur ad spes Germanici coercendas; 4, 70 neque dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi; 6, 28 (34) aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur; 12, 61 neque dubium habetur multa eorundem in populum Romanum merita sociasque victorias potuisse tradi; 14, 43 non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et quae converterentur in deterius mutari. Apud verba dubitandi Cicero semel (ad fam. 16, 21, 2), saepius Livius et Corn. Nepos accusativo cum infinitivo utuntur (cf. Draeger Synt. u. Stil des Tac. §. 146).

**c)** Proxime accedit ad ea, quae modo explanata sunt, infinitivi usus, qui pendet ex verbis, quae a prioribus scriptoribus cum particulis „ut, ne, quominus, quod, sim.“ construuntur. Qui quidem infinitivus a Cicerone paucissimis verbis ut „monere, hortari, postulare, prohibere, sim.“ adiungitur; latissime autem patet apud argenteae aetatis scriptores, qui poetarum rationem secuti ad alia quoque verba hanc constructionem transtulerunt. Cuius infinitivi usum ipsum optime explicavit Rothius (ad Agr. Exc. XXXI pag. 262 — 263 et pag. 269) qui praecipuam eius causam in constructione per synesin quae vocatur videt. Recte quidem et vere idem vir doctus plurima verba, quorum propria vis aliam constructionem postulet, ideo ita usurpari docet, quia generalior in iis insit significatio iis similis, quae iam a praestantissimis prioris aetatis scriptoribus cum infinitivo coniungi soleant.

His praemissis afferamus iam omnia eiusdem generis verba, quae in Taciti scriptis inveniuntur. [1]) Haec sunt:

**adigere** An. IV, 29, 45; XI, 10; XII, 4, 59; XIII, 25; XV, 35; XIV, 24.

**admonere** An. VI, 7 (13); XV, 67. — Verbum „monere,“

---

[1]) Boetticherus (Lex. Tacit. pag. 266 — 269) multa quidem exempla attulit, sed parum genera ipsa distinxit. Discernenda enim sunt verba, quibus infinitivus ut obiecti supplementum quoddam additur ab iis, quae cum accusativo cum infinitivo construuntur. Cetèrum nec Boetticherus nec Draegerus omnia exempla in medium protulerunt.

(iam apud Ciceronem) apud Tacitum invenitur: an. IV, 67; XI, 1; XIII, 37, 39; XIV, 59; XV, 12, 54; XVI, 11, 34.

**accingi** an. XV, 51 cf. Verg. Georg. 3, 46.

**agitare** an. II, 4 cf. Verg. Aen. 9, 187; Curt 4, 13, 16; Nep. Ham. 1.

**amplecti(?)** hist. III, 84 cf. Heraei not. ad h. l.

**ambire** i. q. rogare an. 2, 43.

**adniti** hist. I, 47; IV, 8; V, 8 cf. Liv. 10, 41, 7.—Verbum „niti" (iam apud Caesarem) legitur apud Tac. hist. IV, 70; V, 20, An. I, 64; II, 54.

**aemulari** hist. II, 62 (ἅπ. εἰρ.)

**arcere** an. III, 72 cf. Ovid. Met. 3, 88; id. ib. 12, 426; Sen Troad. 277.

**aspernari** an. IV, 46 cf. Stat. silv. 1, 2, 105.

**certare** hist. III, 61 cf. Lucr. 5, 394; Verg. Ec. 5, 9; id. Aen. 2, 64; Hor. car. 1, 1, 8.

**cohortari** an. XII, 49. Verbum „hortari" (iam apud Ciceronem) legitur apud Tacitum: an. VI, 37; XI, 26; XIII, 49; XV, 49, 59; XVI, 34.

**componere** an. III, 46 ἅπ εἰρ.

**concedere** an. XIV, 55 cf. Lucr. 1, 830; Hor. ep. 2, 3, 373; Stat. Theb. 6, 134.

**coniti** an. XV, 51; cf. Acc. ap. Cic. divin 1, 22, 44; Liv. 9, 31.

**consentire** Germ. 34; iam Cic. leg. agr. 1, 5, 15.

**contingit** Agr. 45; cf. Hor. ep. I, 17, 36; Val. Max. 5, 4.

**dari** dial. 7; an. III, 67; IV, 6, 60; VI, 12, 19; XII, 11, 23 cf. Plaut. Per. 5, 2, 45; Hor. sat. 2, 3, 119; id. ep. 1, 16, 61; Plin. ep. 3, 1, 1.

**dedignari** An. II, 34, 45; XII, 37(?) cf. Ovid. am. 3, 7, 73.

**denuntiare** An. XI, 37; cf. App. Met. 9. p. 237, 18. — Verbum simplex „nuntiare" an. XVI, 11 (ἅπ. εἰρ.) —

**deposcere** hist. 3, 19.

**destinare** an. XIII. 20 cf. Liv. 7, 33; Juv. 3, 3; Ovid. Met. 8, 157 iam. Caes. b. c. I, 33.

**exposcere** an XIV, 13 cf. Verg. Aen. 4, 79.

**erubescere** an. 6, 23 (29); XIV, 43; cf. Cic. legg. I, 19.

**esse** Ger. 5 est videre; an. 16, 34 ut coniectare erat; Agr.

# EMENDANDA:

| | | | |
|---|---|---|---|
| pag. 5. l. 11. pro | „gasagt“ | legas | „gesagt.“ |
| pag. 9. l. 26. pro | „situm“ | „ | „sitim.“ |
| pag. 16. l. 15. pro | „eum“ | „ | „ipsum.“ |
| pag. 20. l. 20. pro | „paraturus“ | „ | „patraturus.“ |
| pag. 31. l. 32. pro | „valeant“ | „ | „valent.“ |

In eiusdem dissertationis parte priore haec quoque emendanda sunt:

| | | | |
|---|---|---|---|
| pag. 19. l. 9. pro | „4“ | legas | „4, 21.“ |
| pag. 21. l. 22. pro | „14, 14“ | „ | „16, 14.“ |
| pag. 27. l. 1. pro | „Pachynum“ | „ | „Pachyni.“ |

pag. 16. l. 12. addenda sunt: an. 1, 14 muliebre fastigium; 2, 71 fraus muliebris;